DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. NOVEMBRIS.

M. LVDOVICO GALLAIS Doctore Medico, Moderatore.

Eſt ne homo exquiſitiſſimi tactus quia rationis compos? 1109

QVEMADMODVM reſpublica non vno ciuium, ſic nec corpus humanum vno partium genere conſtat: aliæ ex elementis ſimpliciores, aliæ ex aliis magis ac magis compoſitæ coaleſcunt; non ad otioſum quoddam depreſſi in terram animi domicilium, ſed quò ſit dignum tanto opifice inſtrumentum. Huic elaborando ſic ſtuduit ſapiens Natura, vt vel Momo placere debeat elegans, ac concinna partium, quibus conſtat, deſcriptio longè quidem à belluarum corporibus diuerſa; illa quippe cæleſti animæ data, non modo ad vitæ ſenſuumque munus, verùm & ad expediendas mentis immortalis functiones: cui ne eſſet impedimento prona, nec ſatis accurata corporis compages, os homini ſublime datum, cum eâ qualitatum temperatione quæ ſapientiæ magis congrueret: vt ſi ſubtilem adeò, ſolertemque perpenderis tot organorum ſtructuram, ex hac vna tibi fatendum ſit Hominem diuinum eſſe animal, quod cæteris antecellit ſingulari quadam conformationis, & temperiei ratione, vnâque intelligendi facultate ad Deum propius accedit.

OPTIMA eſt temperies, quæ ad animantis cujuſque mores, atque ingenium accommodatur: ſic Leonis ferocis, & impotentis calidiſſima; Aſini tardi, & clitellarum patientis frigidior. Hominem ad artes, & ſocietatem natum quid juuiſſet tantus à medio qualitatum receſſus? multo magis decuit ſic remitti, vt auream illam mediocritatem conflarent, quæ commodè rationi ſubſeruit, cæterarumque princeps eſt temperationum. Calidior deſultorium ac præcipitem, frigidior plumbeum feciſſet hominem, illa optima ſapientem. Neque tamen aut pari elementorum pondere æſtimanda, aut æquâ ad vnguem qualitatum menſurâ, ſed quodam veluti juſtitiæ ritu qui homini ſuppeditat vberem vitæ fundum, quo ſic temperati corporis munita pars quælibet, ſufficienti caloris ſpirituumque præſidio viget, tum ad ſucci cujuſuis perfectam elaborationem, tum ad vitæ diuturnitatem, quam homo ſi Naturæ auſcultet, animanti nulli inuideat. Ita nempe caloris natiui munia pulcherrimè exequitur, Senſuum pene: omnium perfectione cumulatus, tactus certè maximâ: rarior ſcilicet delicatiorque ex ſincero ſanguine ſingularum fabrica partium, aptiores eas reddit percipiendis rebus, quarum imagines per ſpiritus, ceu per nuntios, bonâ fide tranſmittuntur in cerebrum, ad ſacra intellectionis peragenda: cui diuino muneri, tactus ſenſuum communiſſimus, eò majorem confert operam, quò magis eſt ad vitam neceſſarius, exquiſitoque temperamento conſociatus.

HOMINI ad beatitudinem munitura viam Natura, menti ſubtiliſſimæ rerum omnium cognitione informandæ, ſolium locauit in capite; vnde promptiſſimè perciperet, ſcitéque dijudicaret objectorum imagines ad ſe delatas per ſenſus fideliſſimos nuntios: quorum alij in belluis, licet homine minus bellè temperatis, certis ex cauſis acutiores firmioreſque. Sed vt aquilæ clarius cernant, vultures ſagacius odorentur, talpæ vel ſurdo obrutæ elemento liquidius audiant; homo tamen cujus meliori conformationi, reſpondet temperiei dignitas, vnâ tangendi facultate eximiâ, & certiſſimâ reliquas animantes longè poſt ſe relinquit. Is ſenſus vt non priuatæ cuidam particulæ affixus, ſed longè latéque fuſus per vniuerſum corpus, ſic multarum, ac diſcrepantium rerum cognitionem capit: quas inter familiam ducit quicquid primas qualitates aut excellentes aut ignauas obtinet: quicquid deinde ex illis prodit, durumque eſt vel molle, graue vel leue, lubricum vel friabile, aſperum vel læue, craſſum vel tenue. Et horum alia ſpeciei interuentu, quaſi per pararium (quemadmodum cæteris eſt familiare ſenſibus) alia ipſa per ſe cognoſcit humanus tactus, cum ſummâ celerique vi conjunctus ad excipiendas rerum, quæ tanguntur, impreſſiones. Hæc multo obtuſior in omnibus, quæ ab humanâ conditione recedunt, corporibus, ſeu pelle craſſiori obduruerint, ſeu ſetis villiſque rigeant, ſeu denique duriore alio operimento incruſtentur, hebetiori ſunt tactu, nec niſi objecta tardè deprehendunt. Vt temerè conuiciis oneres laudandam Naturam, Homo, quod inermem nudatâque cute te finxerit; qui obuias alioqùin, & circunſtantes res nec tam certò, nec expeditè adeò eſſes diſcreturus.

TACTIO, ceu ſenſio quælibet, perbellè ſuccedet, quoties prætenues, ac lucidi ſpiritus profecti à principe viſcere, ad partem à rebus omnibus optimè conſtitutam fluent. Quò hæc facile ſentiat, nullum ipſi tangendæ rei veſtigium ſit impreſſum, neceſſe eſt; ſimiliter cerebrum arx rationis, ſenſuumque omnium officina, nudum ſit oportet, vacuumque ab omni re, quæ ipſius judicium aut occupet, aut offendat. Nempe vt nitidiſſimam veſtem vel vna corruperit macula, ſic ſentiendi inſtrumentum, quicumque id attigerit delibatus ab objectis typus. Porro nerui ad tangendum deſtinati, & cerebellorum inſtar toto corpore ſparſi, ſuâpte naturâ frigidiores, ac duriuſculi; ipſaque cutis ex multis neruorum contexta reticulis, ne quam in fraudem inducantur, ac pro tepidis calida, pro duris habeant mollia, carnis viciniâ, ſpirituumque, & puriſſimi ſanguinis rore ſic contemperantur, vt qualitatum omnium mediocritate quadam ornati, rectum de omnibus ferre queant judicium. Neque ſolum ad tactus, verùm & ad ingenij præſtantiam mirificè confert iſta corporis humani conditio, quâ cæteras animantes, & alterum hominem alter vincit homo. Scilicet truncus eſt ille qui frigido, & duriore corio, velut cortice, induitur; ſolers autem, & ingenioſus, cujus mollis cutis & tenera, defœcato ſanguine terſioreque ſpiritu continenter irrigatur.

SVA quidem eſt vnicuique ſenſui voluptas, vt & ſuus dolor; maximè tamen iſtæ duæ res ad vnum pertinent tactum, qui ob eximiam, qua gaudet, principum qualitatum ſymmetriam, mirùm quantùm aduerſi, & immoderati ſenſilis incurſu lædatur, quantùm amici, temperatique complexu blandè ſuauiterque titilletur! Ille nempe vim infert corpori, hic blanditur; ambo tamen pene paribus in hominum vitam graſſantur inſidiis. Alius doloris impatientiam ſpontaneâ morte redemit; alius incredibili quadam voluptate cæcus lucem ſibi eripuit, quam poſthumo tranſmittebat. Tantum valet additum venereæ fœditati incendium: homini quidem commune cum belluis, ſed vt illum magis inflammat, ſic has minus excruciat dolor. Obtuſior iſta tangendi vis, ſoboles eſt temperationis ab impuro, craſſiorique ſanguine procreatæ, quæ & exquiſitiori tactui, & ſolertiori menti prorſus eſt inimica. Præſtantis quippe tactus, & mentis longè arctior eſt conjunctio, quam hujus cum aliis ſenſibus. Eſt cui quod infirmioribus oculis auribuſque deeſt ad ingenij præſtantiam eſt conuerſum, eſt vbi mentis penuriam, tactuſque tarditatem excellenti alio ſenſu compenſauit natura; quæ ejuſmodi animantes ſic finxit, vt oculis auribuſve fabricandis acrius intenta cæteras corporis partes minus curauerit: Hominem verò primarium opus & ſtupendum audacis induſtriæ ſuæ ſpecimen editura, quatuor quidem ſenſus intra mediocritatem dedit; tactum verò, quem non modo manui, ſed toti etiam inſeuit corpori, ad ſummum perfectionis apicem euexit: addiditque præterea mentem, quicquid in illis deſiderari amplius poterat, incredibili judicij acrimoniâ ſuppleturam.

Eſt igitur homo exquiſitiſſimi tactus quia rationis compos.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Petrus le Large.	*M. Claudius de Frades.*	*M. Tuſſanus Fontaine.*
M. Antonius Ioannes Morand.	*M. Ægidius le Bel.*	*M. Franciſcus Pajot.*
M. Michael Denyau.	*M. Abrahamus Theuart.*	*M. Florimundus Langlois.*

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS BONVARLET Rethellinus, A. R. S. H. M. DC. LX.